



~~F. VIII. 57.~~

EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

NA 305.

SIGNAT. cl̄is̄ccccxiii.

n. r.





Elo.  
con-  
nisi  
s. s.  
non  
mos  
11110  
mi.  
un.  
quā.  
sal.  
im.  
tor,  
nce.  
ccl.  
e sa.  
in.

AUGUSTISSIMUS THALAMUS,  
POTENTISSIMI POLO-  
NORUM SVEGORUMQUE  
REGIS,

VLADISLAI IV.

ET

EXCELSISSIMÆ AVSTRIÆ ARCHIDUCIS,  
CÆCILIAE RENATAE,  
PROPOSITVS

Valentino Thilme



REGIOMONTI

Literis Paschalis Mensisij, 1643.





*VIRIS*  
*MAGNIFICIS, GENEROSIS. NOBILIS-*  
*SIMIS ATQVE STRENUIS:*

DN. JOHANNI EBERHARDO  
A Tettau/ Provinciali Magistro,

DN. BERNHARDO A Königseck/  
Supremo Burggravio,

DN. FABIANO ab Ostau/  
Cancellario,

DN. AHASVERO A Brandt/  
Supremo Mareschallo,

*Supremi in Borussia Regiminis Consilia-*  
*riis Eminentissimis,*

Dominis ac Patronis suis summè  
suspiciendis.



VIRI  
MAGNIFICI, GENE-  
ROSI, NOBILISSIMI, ATQVE  
STRENI.

**C**lientum Romanorum inter alia, & hoc  
erga Patronos, officium erat, ut Patro-  
cini beneficiis celebraturi, publicas statuas  
erigerent, atq; collocarent. Quod dum co-  
gito, juxtaq; summa illa, quibus hucusq; res me-  
as ornastis benefacta aestimo. ferio aoleo, tam  
arctè fortunas meas constrictas, ut sumptuo-  
so apparatu eadem venerari non liceat. Neq;  
enim, dum reulas meas excutio omnes, quic-  
quam, quod Vobis, MAGNIFICI DOMINI,  
offerre poteram, præter chartulas, occurre-  
bat aliud, proindeq; si eadem tantum munus  
absolvere possent, tentans, presentes inclyti  
Vestri Nominis honori dedicavi. Sed bene est:  
Novit optimè instructus animus vester, & so-  
lennem bonis mentibus, & gratisimum sum-  
mis capitibus, hunc, qui chartâ ministrâ per-  
agitur, fuisse cultum. Ista enim, quia, quod  
poterant, agebant, debita gratitudinis tenu-  
em potius, quàm nullum, testem dare male-  
bant: Hæc verò, quia abundè fortunarum

\* 2

domi



domi obtinebant, non requirebant aliena  
augmenta, quibus sufficiebat, ab oblivione  
nominis sui, calamo chartâq; præconibus,  
vindicare memoriam. Id proinde cum &  
ego unicum hâc vice intenderim, tum longè  
felicissime executus videor, **AUGUSTISSI-**  
**MO,** quod præsentis pagella exhibent, **AR-**  
**GUMENTO.**

**MAGNI** enim **VLADISLAI,** **REGUM**  
**SUMMI,** **AC EXCELSISSIMÆ CÆCILIAE**  
**RENATÆ,** auspiciatissimum thalamum, quan-  
tâ solennitate, quo applausu inter Musas ple-  
riq; Vestrum, **MAGNIFICI DOMINI,** qui  
jam tum clavo patriæ divinitus erant admo-  
ti, celebrârunt, Academici parietes adhuc te-  
stantur: quâ verò fide ac devotione Tanto-  
rum Caputum sublimitatem, adhuc colatis  
Omnes, publicè constat. Nec proinde ingra-  
tum esse poterit, quod tam charum semel  
fuit. Sed & quid ad memoria eternitatem  
augustius esset, quàm tam **AUGUSTISSIMO-**  
**RUM CAPITUM** gloria? cujus subjectissi-  
mam venerationem, dum sub Vestris, **MA-**  
**GNIFICI DOMINI,** Nominibus orbi propo-  
no, verè videtur manumentum ære perenni-



us, quod omnibus aetatibus, & sanctissimam  
vestram erga SERENISSIMAM MAJESTA-  
TEM fidem, & purissimum erga bonas men-  
tes atq; literas affectum, clarissimè testabitur.

Vos modo, MAGNIFICI AC GENEROSI  
DOMINI, prout non soletis despicienti oculo  
THILONEM intueri, sic serena mente hoc  
etiam, quicquid muneris est, accipite, ac, quod  
unicè voveo, inter inoffensam plurimorum  
annorum, cum patriæ incremento, felicitate  
videntes ne dedignemini vestro affectu  
res atq; fortunas

M. G. N. S. D. V.

obsequentissimū  
clientis.

Dabantur è Mu-

seo. 1643.

3. Junij.

Pal. Thilonis.

INVI.



*Invitatio Auditorum.*

**Q**Vanto studio, quantaq; devotione  
omnis Borusforū Provincia, ac quæ-  
cunq; ei cognatione adhæret gens, DIVI-  
NUM PACIS DONUM veneretur, iterum  
publica solennitate testatur, quâ religio-  
sissimo jubilo DEI MISERATORIS boni-  
tatem, inter tot amplissimarum gentium  
ruinas, vastitates ac everfiones, Borusæ  
calamitatis misertam, ac tranquillissima  
præter spem Halcyonia largitam prædi-  
cat atq; canit. Tuum certè, æterne SO-  
SPITATOR, ac juvandis hominibus sem-  
per mirifice, munus est, quo concitatas  
mentes sedâsti, ac omnipotente nutu ad  
tâm salutaria consilia flexisti; hinc quoq;  
te hymnus, te laus decet, ac offeretur tibi  
etiã perennaturâ religione. Verùm enim-  
verò dum hæc inter Ecclesiæ sacra agitis,  
DEO devotæ mentes, & illud cogitate, quid  
laudis, quid venerationis INVICTISSIMO  
AC AUGUSTISSIMO POLONORUM  
SVECORUMq; REGI VLADISLAO IV.  
PACIFICO, PATRI PATRIÆ SEMP. FEL.  
&c. &c. debeatis, quo divinisimo organo  
res hæc omnis tâm saluberrima, tam exo-  
ptata,



ptata peracta est. Equidem prima felicitatis pars est DEO AMICO, ast proxima huic REGE PACIFICO ac CLEMENTE uti. Hinc quemadmodum communis cum Deitate virtus est, plurimos ab exitio vindictos servare: ita partem divinæ gloriæ capiunt, ista qui præstant, terrarum potentes REGES. Sed in hoc quoque non segnior, quam in divino numine colendo, unquam visa est patria, dum quicquid à tenuitate suâ cultus, venerationis, servitorum proficisci potuit, id omne EI SUPREMÆ INTER HOMINES MAJESTATI, cui post DEUM UNI, quicquid potest, debet, sacravit. Ac hoc quidem cum semper, tum præsertim hoc ipso tempore, sub AUGUSTISSIMI THALAMI (quod Deus bene vertat) AUSPICIA conatur, dum quicquid votorum concipi potest, ejusdem felicissimo incremento impeditur. Hinc instar lucidissimæ flammæ passim porumpit devotissimus affectus, quo ex hoc fecundissimo fonte plurimum felicitatis ad se quoque derivatum iri ominatur. Nunc itaque quid mirum, si & MUSAS ACADEMICAS eam TUTELARIS SUI OPTIMI MAXIMI felicitas afficiat, easque ad solennia concipi-



enda vota animatas in publicum protrahat? Non heri hodieq; natæ pro auspiciis thalamis *εὐφροσύαι*, maximè quorum felicitas publicæ prosperitatis fecundissima mater est. Agite ergò **MÆCENATES, PATRES ac CIVES ACADEMICI**, Fautores ac Amici colendi, dilecti, quam futuro 16. Septembris die, **ACCLAMATIONEM GRATULATORIAM**, Augustissimo thalamo dicendam constitui, adire, ac horam unam alteramq; pomeridianam eidem commodare, ne, quæso, pigeat. Nihil agemus aliud, quàm ut tribus orationib<sup>9</sup> felicitatē harum Nuptiarum Regiarum demonstrē, ac proinde nobis ipsis futuræ felicitatis certissimam spem faciam<sup>9</sup>. Hic non dubito, ultro id debito **SACRÆ REGIÆ MAJESTATI** cultui à vobis concessum iri, quod facilimè antea **MUSARUM AMORI** tribuistis. Sed & hæ ipsæ nunquā cessabunt, prout cœperunt, omnibus obsequiis ac laudibus Dominationes vestras colere, ipsarumq; inter undiq; imminentem barbariem fidissimum patrocinium prædicare. Ita vos omnes æternâ felicitate celestis favor sospitet! R. P. 12. Sept. 1637. Ipsâ Eucharistias Borussiae solennitate,



## Præloquium.

ILLVSTRIS, GENE-  
ROSE, NOBILISSIME, DN.  
REGENS AC BURGGRABIE SUPRE-  
ME; MAGNIFICE DN. RECTOR;  
NOBILISSIME AC STRENUE DNE:  
CONSILIARIE PROVINCIALIS, ET  
CAPITANEE; SPECTABILES DNN.  
DECANI, VIRI ADMODUM REVE-  
RENDI, EXCELLENTISSIMI, EX-  
PERIENTISSIMI, CLARISSIMI, AM-  
PLISSIMI, PRUDENTISSIMI, SPE-  
CTATISSIMI, HOSPITES OMNIUM  
ORDINUM HONORATISSIMI,  
UT ET NOBILISSIMI DNN.  
STUDIOSI.

**A**USPICATISSIMUM THALAMUM,  
QVEM AUGUSTISSIMA CAPITA  
*ineunt, aeterno faxit Deus, suo, suo-  
rumq; bono, celebraturi, ac fausta quaq;  
precaturo adsumus, cui dum Magnifica Ve-  
stra Dominationes presentiam suam com-  
modant, novo teste, quâ in GLORIOSIS-  
SIMUM*



SIMUM REGEM, devotione sint, compro-  
bant. Equidem devictis hostibus, civi-  
bus servatis, pace undiq; partâ, id uxum  
MAXIMO SUO REGI precabatur omnis  
populus, ut & ipse, quam alijs paraverat,  
jucundissimè frueretur quiete, ac, quem  
securum tot civibus, thalami honorem  
prastiteras, ipse feliciter possideret. Nunc  
itaq; immortalis DEI aternâ providentiâ  
tanto munere beatum, qui non prosequen-  
tentur omnium gratulationes atq; iubila?  
Testantur id varia variorum instituta,  
dum quisq; quantum potest, decens signum  
cultus exhibet. Hinc ludis equestribus,  
Theatralibus pompis, munerum divitiis,  
laus applausibus, Fescenninis joci, tanti  
diei solennior festivitas passim existit. In-  
ter ea Nuptialia Musa nostra recordaban-  
tur MAGNUM SOSPITATOREM AU-  
GUSTISSIMUM SPONSUM, cuius auspi-  
cijs huc usq; starent; recordabantur CHA-  
RITUM ATQUE GRATIARUM DECUS,  
EXCELSISSIMAM SPONSAM, ac tam  
felici connubio TANTUM PAR jungi gau-  
debant. Et ita latitio affectus, ut agrè  
com-



comprimatur, ac facile prorumpat, ac in  
quosvis passim diffundatur. Dant pro-  
inde ejusdem & ista hunc testem, ac lin-  
guam interprete, quae intus condebantur,  
depromunt. Vos itaque quicumque adestis, id  
imprimis agere volo, quod Musae jubent,  
frontem explicare, letari, ac plaudere.  
Laetitia datores Deos nuptiis peragendis  
vocabant prisci, excludebant Erinnin, ac  
quicumque tristitia assueverat. Scilicet non  
convenit, quod felicitatis principium pu-  
tatur, tristi auspiciari exordio. Id vero  
quam maxime omnium nos deceat, jam  
patebit, ubi optatissimam, ex TAM ALL-  
GUSTO THALAMO, felicitatem ad nos  
derivandam, clarius expressam percepe-  
ritis. Favete modo linguis, ac, quod in-  
ter publica gaudia, cum omnibus, Musas  
agere videtis, tanto bono vestro gaudete.

Huc referatur Ode I.

Eam sequitur

A 2

ORA.



# ORATIO I.

*In qua,*

ALBERTUS THEODORICUS Fröbner  
Nob. Bor. Auspiciatissimi Thalami fe-  
licitatem demonstrat, ab Augu-  
stissimo Conjugum  
pari.



Hinc ergò, quod unum post  
oppressam Heroicâ virtute  
barbariem, & fugatam, Di-  
vini Numinis, ac Pacifici He-  
rois nostri auspiciis, Patriæ  
caliginem, felicitati nostræ  
deesse videbatur, Altissimi clementia felices  
possidemus. Dum propitiis fatis, SERENIS-  
SIMI AC INVICTISSIMI VLADISLAI IV.  
POLONORUM REGIS, MAGNI DUCIS  
LITHUANIÆ, RUSSIÆ, PRUSSIÆ, MA-  
SOVIÆ, SAMOGITIÆ, LIVONIÆ, SMO-  
LENSKIÆ, SEVERIÆ, ZARNICOWIÆQ;  
NEC NON SVECORUM, GOTHORUM  
VANDALORUMQ; HÆREDITARII RE-  
GIS &c. &c. &c. P. P. S. F. AUGUSTISSI-  
MUM THALAMUM intrat INVICTIS-  
SIMI AC POTENTISSIMI D. FERDINAN-  
DI II. ROM. IMP. S. A. B. R. N. SERENIS-  
SIMA



SIMA ATQ; EXCELSISSIMA FILIA  
PRINCEPS AC DNA. DNA. CÆCILIA RE-  
NATA, ARCHIDUX AUSTRIÆ, DUX  
BURGUNDIÆ, LOTHARINGIÆ, BRA-  
BANTIÆ, STIRIÆ, CARINTHIÆ, CAR-  
NIOLÆ ET WIRTEMBERGÆ: COMES  
FLANDRIÆ, HABSPURGI, TIROLIS,  
ARTHESIÆ, HANNONIÆ, HOLLANDIÆ,  
SELANDIÆ, NAMURCI, ZUTPHANIÆ,  
&c. &c. &c. eiq; individuâ vitæ consuetudi-  
ne sociatur. O summum negotium, quô,  
quod MAGNI VLADISLAI SERENISSIMA  
FAMILIA perpetuitatem nanciscatur, Dei  
clementiâ immortalitatem donante Naturæ,  
terra ipsa futuram felicissimæ prolis prote-  
ctionem considerans, gratulari videtur ac  
Thalassi speciem exhibere! O felicem hunc  
diem, ac omnigeni boni verè fontem! Ve-  
neretur eum fera posteritas, nec unquam  
apud nos intercidad tanti operis cœlitus ador-  
nati memoria. Non hic, quod ab aliis fieri  
solet, vastam mundi fabricam, ad lætum hu-  
jus felicitatis cultum ac solenne AUGUSTI  
HUIUS CONNUBII præconium evoco; Vos  
saltem, meæ Musæ, si non desitis Illustri so-  
lennitati, res omnis conficietur: Neq; in eo  
graves fore vos puto, quod & INVICTE  
SPON.



SPONSI VIRTUS, & SERENISSIMÆ  
SPONSÆ HEROICA INDOLES EXIGIT.

( *Interpellabantur hac ipsa Odâ II.  
quæ huc referendâ.* )

Sed quid? Sentio totum Parnasum se de-  
mittere, ac condignas laudes AUGUSTISSI-  
MO HUIC CONNUBIO accinere. O factum,  
meæ Musæ, æternis laudibus celebrandum!  
O miram Apollinis Patris promptitudinem!  
Scilicet jam uberiùs patebit REGALIS HU-  
JUS CONNUBII splendor, dum vestris arti-  
bus coli cœpit. Eja & nos, ad quos tanti bo-  
ni non minima pars redundavit, commune  
gaudium exponamus, ac unâ voce gratule-  
mur SERENISSIMIS NUPTIIS. Sacrorum  
festivitates Plataënsibus olim hoc mense so-  
lennes erant, quibus Magnanimi Pausaniæ,  
adversus Persas feliciter præliantis, nomen  
gratâ mente recolebant, teste Nobili Chæro-  
nensi Philosopho. Nobis tanti operis memo-  
riam celebrare, & hâc die, omnia fausta pre-  
cari convenit, quâ post Martios triumphos  
vero amore AUGUSTUS resplendet, INVI-  
CTISSIMUS ULADISLAUS IV. Et insti-  
tutum quidem est, æterno vestro honori, MA-  
GNE ULADISLAE, hoc sacrum, sed quod  
tenui apparatu adornatum, rei magnitudi-  
nem



nem vix assequuntur. Dabis hoc, INVICTE  
HEROS, tenui menti, præ tanto Majestatis  
fulgore hærenti, ac, quod unum optamus,  
concedes saltem id coli à nobis, devotissimo  
cultu. Quod quidem quantâ cura agat hæc  
Patria, testatur communis omnium vox, quâ  
uno ore proclamant, nunquam felicius, nun-  
quam optatius, ullos conjuges convenisse.  
Non hic felicitatis summam in vulgaribus  
omnis conjugij requisitis ponam: nec qui vul-  
gi mos, solam ineundi conjugij spectatam  
æqualitatem, utramq; in eo facere paginam  
asseram. Illud tamen, quod certissimum est,  
etiam me tacente, colligitur, infelicia esse  
omnia, nihilq;, quàm præsentissimum peri-  
culum, præ foribus esse, nisi conjugum æqua-  
litas, æquabile reddat conjugium. Amici-  
tiam aliàs omnem ea sola firmam reddit ac  
stabilem; quidni & eam, Divini & humani  
juris fœdere arctissimo initam, firmissimam  
efficiat? Vincula ex æquali commissura, vi-  
res demum accipere, eaq; deficiente nulli  
usui esse, notum. Idem in hoc arctissimo  
conjugij vinculo, quod si non æqualis conju-  
gum consensus absolvat, infelix existit con-  
jugium. Loquuntur id Exempla: Edoardi  
IV. Angliæ, Petri Arragonum Regis, Hero-  
dis, aliorumq;, qui, infelici hac in re successu



usi, documento jam sunt posteris, verum esse  
illud Poëtæ :

*Si qua voles aptè nubere, nube pari.*

Verum enimvero, si hæc, extra ullam du-  
bitationis aleam hic posita, **AUGUSTISSI-  
MO HUIC CONNUBIO** applicavero, utut  
maximam felicitatis partem absolutura sint;  
tamen, cum majora in potentium connubiis  
requirantur, vereor, ne rei parvitate, in **MA-  
JESTATEM AUGUSTISSIMAM** peccem.  
Neq; hic, dum ad Augusta Potentium con-  
nubiorum requisita accingimur, multum mo-  
ræ iterum injicient, quæ vulgo summè com-  
mendantur, ac de quibus hic nõ dubitandum,  
ubi mentes non Charitum, sed Divinior men-  
tis cura finxit, quæq; inter **EXCELSISSIMA-  
RUM VIRTUTUM** amœnitates, quæ vel so-  
læ prosperrimam felicitatem absolvunt, na-  
tæ & educatæ, perfectissimâ morum con-  
cinnitate, ita pectus suum ornarunt, ut ubiq;  
absolutum sui sexus exemplum præbeant.  
Ac in **SERENISSIMÆ SPONSÆ** laudibus  
prolixior qui sim, cum solum ejusdem **FAU-  
STUM NOMEN** omnes virtutes ambitu suo  
complectatur? Occurrit hic Romana Cæcilia  
Cæcilia, quæ virtuosè actæ vitæ, indolisq;  
singularis celebritate ita claruit, ut semper  
novis nuptis imitanda olim proponeretur, an-  
tiquo



tiquo more dicere jubente: *Ubi tu Cajus,*  
*Ego Caia.* Quam exactius hoc SERENIS-  
SIMÆ SPONSÆ convenit, quæ si non Caja,  
aut CÆCILIA RENATA majori omine dici-  
tur, dum cœlitus ditata, quicquid unquam in  
fæminino sexu laudabile requiritur, solo no-  
mine tenere videtur? Fit imposterus, SE-  
RENISSIMA PRINCEPS, æterna hæc Tua  
laus, quâ majori, quam Romanæ Cæciliæ  
progressu, perfectum muliebris sexus exem-  
plum audiet, ac omnia conjugalis felicitatis  
requisita solum absolvet Augustissimum No-  
men CÆCILIÆ RENATÆ. Alia dicerem,  
nisi, quæ cum omnia Magnatum connubia  
felicia, tum hoc æternum quoq; reddunt, cum  
splendore sanguinis, conjuncta affinitatis  
potentia, videnda essent. Conjugij etenim  
summa in Republ. utilitas, ut jam olim D.  
Augustum movit, quò L. Juliam de Maritan-  
dis ordinibus ferret; ita SERENISSIMI RE-  
GIS NOSTRI pectus eò duxit, ut sanctissi-  
mum hoc fœdus iniens, immortale nomen,  
velut per traducem, posteris traderet, & fe-  
lectâ sibi è GLORIOSISSIMA DOMO TO-  
RI SOCIA, utrumq; celsissimarum familia-  
rum decus conjungeret. Quod sanè, quo or-  
dine hic tractem, dubito, cum pari splendore

A 5

utrumq;



utrumq; refulgeat? Ac DOMVS AVSTRIA-  
CÆ quidem Celsitudinem, ejusq; non æquan-  
dam potentiam, verbis quis explicet? Illud  
unum invictæ ejus potentiæ fidem faceret,  
quod ex eâdem tot imperio nostro prodierint  
capita, quot nunquam ex aliâ. Res certè  
admiranda, & quæ omnem historiam supe-  
rat, EX VNA AVSTRIACA STIRPE XII.  
IMPERATORES, (hodie XIII. numeramus,)   
Christiano orbi affulsisse. Quid in omni retrò  
Principum serie simile? Eat jam sagacissima  
mens, quicquid veteris Historiæ huc applicari  
possit, æstimet, &, quo censu sit, decernat.  
Nunquam sanè mihi in unâ stirpe tot sublimia  
imperia, tot diademata, tot sceptrâ, unquam  
ostender. Iterum dico mirabile, &, ut  
Magni viri verbis exprimam, quid nisi tacita  
à Deo vox, & testimonium, datam hanc fa-  
miliam & è cœlo demissam esse in terras, ad  
imperia terrarum? Solam hanc COR ET CLY-  
PEVM SACRI ROMANI IMPERII, D. FRI-  
DERICVS IMPERATOR nuncupavit, quæ  
maximè Turcicæ tyrannidis retinaculum ex-  
istit.

*O verè famosa domus! cui totus abortus  
Solis ad occasus mundus substernitur*

*AUTAS,*

*QUAM*



*Quam qui novit, amat; qui non nove-  
re, verentur.*

*Cujus in auditu confusis mentibus hostes  
Tabescunt; contraq; nihil se posse fa-  
tentur.*

Atq; hæc antiqua virtus, cum multos alios in hac inclyta domo, tum novissimè D. FERDINANDVM II. ROM. IMP. S. A. ita affecit, ut, quibus initiis ea creverat, eodem felici progressu magis mirandam orbi reddere destinaret. Hinc ejus summa virtus id effecit, ut ultrò in Romanum Imperatorem, ab AVGVSTO ELECTORVM COLLEGIO eligeretur. Cui Imperiali fortunæ, ad quam altissima manus eam evexerat, quanta pietate ac tuendæ Imperij Majestatis curâ præfuerit, novit orbis. Et si iniqua fata, si imperij procerum discordia, si exteri hostis pervicacia, non prohibuissent, pacata jam dudum esset Germania. Quod etiam evidenti signo ostendit PIISSIMVS IMPERATOR, dum concordibus paulisper Imperij proceribus, pace constitutâ, Imperatoriâ clementiâ cunctos amplexus, ut in exterum hostem communi auxilio irent, monuit. Quod cum feliciter, postquam avita & propria virtus, SERENISSIMVM AC INVICTIS-



**CTISSIMUM FERDINANDUM III. RO-**  
**MANORUM IMPERATOREM S. A.** in pa-  
trium solium evexit, nunc succesurum sperēt  
omnes, ecquis prohibeat bona illa verba omi-  
nari, quæ cornicem quondam in Capitolio lo-  
cutam esse Svetonius autor est? At quæ hic **VOS,**  
**CELSISSIMA IMPERII MEMBRA, ÆTER-**  
**NA** manebit laus, quod concordibus votis, &  
unanimi consensu uniti, pacem sperare jubea-  
tis, ac exteri hostis, Germanicam libertatem  
opprimere studentis, ferociæ obviam eatis.  
Scilicet an ferendum diutius, exterum Impe-  
rio insultare, ac tantum non id subvertere?  
Subverte tu potius, **MAGNE DEUS,** omnia  
eorum acta, ac, quod summè expetimus, diu  
optatam pacem afflictæ Germaniæ tandem  
redde! Sed & **GLORIOSISSIMÆ POLO-**  
**NORUM GENTIS** virtutem quis facile expe-  
diat? Loquitur eam adhuc Hungaria, Bohemia,  
Silesia, Pomerania, Dania, quæ loca omnia  
vel imperium ejus senserunt; vel invictam  
vim experta sunt. Comprobat eam fido te-  
stimonio tota Europa, quam Turcicæ servi-  
tutis jugum evitaturam vix crediderim; nisi  
**AUSTRIACÆ DOMUS, & HUIUS GEN-**  
**TIS VIRTUS** pari Christianorum bono jam-  
fatis probata pro Christiana libertate excu-  
bias.



bias ageret. Germania certè inundanda  
jam, ejus auxilio servata adhuc stat, sine quo  
si fuisset, præsentissimæ Turcicæ tyranni-  
dis eluvione obruta interiisset. Hic jam tot  
seculorum POLONICA VIRTUS repetenda  
esset, ac inprimis JAGELONICÆ STIRPIS  
DIGNITAS, quæ plurimis commodis incly-  
tum hoc regnum affecit, recensenda. Repe-  
tendus esset à primordio AUGUSTUS JA-  
GELLO ULADISLAUS, qui magno ducatu  
Lithvaniæ, Rusiæ, Samogitiæ, regni limi-  
tes auxit, easq; omnes provincias Christianæ  
fidei addidit. Perpendendus esset ejus FI-  
LIVS SUMMI NOMINIS CASIMIRVS, sub  
cujus auspiciis hæc patria Poloniæ regno ad-  
jecta est. Considerandus veniret ÆTER-  
NÆ FAMÆ SIGISMVNDVS I cujus insi-  
gnem pietatem, justitiam, fortitudinem,  
ad miraculum usq; Historia loquitur. Di-  
cendus esset SIGISMVNDVS AVGVSTVS,  
summâ prudentiâ, frugalitate, & tam to-  
gæ, quam sagi celebritate VERE AVGV-  
STVS Dicenda essent alia majora, nisi  
D. SIGISMVNDI III. summa virtus ad sua-  
rum laudum præconium me raperet. Ac  
quanto cum æternaturo laudis honore  
INCLYTVM HOC REGNVM,  
eiq;



eiq; cognatas provincias is rexerit, testis est  
tota Polonia. Justitiam sanè tanta curâ ad-  
ministravit, ut etiam valdè disitis locis hoc  
nomine innotuerit. Taceo pietatem sum-  
mam, consiliorum tam togatorum, quam mi-  
litarium prudentiam exquisitam, & amorem  
erga literatos mirabilem. Quæ omnia cum  
tanta sint, ut vix altiora admittant, mayo-  
ra tamen existunt, quod harum virtutum  
æmulatorem viderit **FILIVM PRINCIPEM:**  
**VLADISLAVM SIGISMVNDVM** dico, cu-  
jus heroici triumphii id meruere, ut hostibus  
ipsis formidabilis existat. Testem hujus di-  
cti Moscoviam voco, quæ cum **INVICTI**  
**HVJVS HEROIS** præsentiam sensit, scele-  
rum conscientia victa, ac consternata quasi,  
perfida arma ad victoris pedes posuit, & cer-  
nua perfidiam deprecata, ut incolumis serva-  
retur, petiit. Nec aliter Turcicus Furor,  
numerosisimo exercitu paulo ante sæviens,  
tantæ victoriæ famâ perculsus, illicò de depo-  
nendis armis cogitavit, & simul, ac se suorum  
rebus immiscebat **GLORIOSISSIMI VI-**  
**CTORIS MANVS**, receptui cecinit, pacem  
supplex orans. Ita incruentâ cæde, admi-  
rante toto orbe, victoriam obtinebas, **MA-**  
**GNE VICTOR**, ac pacem etiam barbaris ter-  
tis, verè **PACIFICVS**, concedebas, bono  
omine



omine nostræ terræ. Quam cum AVGV-  
STVS post binos triumphos ingredereris, ipsa  
belli calamitas, exacto induciarum tempore,  
iterum metuenda, sistere se paulatim, ac fa-  
sces invictæ Tuæ Laureæ submittere jam vi-  
debatur. Quod quanto progressu successe-  
rit, adhuc pectore versat hæc patria, ac de-  
bitas laudes SVMMO DEO, TIBIQ; TVTE-  
LARI SVO OPTIMO, MAXIMO, dicit, &  
magni hujus beneficij nomen, ut sine venera-  
tione nunquam proferendum putat, ita æter-  
nam ejus memoriam sibi statuit atq; sacrosan-  
ctam. Videtis credo, Auditores, gloriosis-  
simam CELSISSIMARVM FAMILIARVM  
similitudinem! Scilicet ea ipsa hoc effecisse  
videtur, ut gloriosissimè factorum, & mo-  
rum similitudine GLORIOSISSIMÆ DO-  
MVS animi conjungeretur, ac, quod historia  
nobis suppeditant, crebrum existeret harum  
familiarum connubium. Quis enim D. CA-  
SIMIRVM II. QVIS SIGISMVNDVM AV-  
GVSTVM, quis SIGISMVNDVM III. PO-  
TENTISSIMÆ AVSTRIACÆ DOMVS,  
connubia obtinuisse ignorat? Sed & illud ne-  
mo nisi excors ignorabit, ex his felicissimis  
connubiis, plurima Christiano orbi data CA-  
PITA AVGVSTA. Inter admirandum fœ-  
mininæ felicitatis exemplum, Naturalis Hi-  
storiæ



istoria scriptor retulit, unam in omni ævo,  
Lacænam Lampedona, repertam esse, quæ  
Regis filia, Regis Vxor, Regis mater fuerit:  
Plura certè & majora decora in hisce connu-  
biis reperies. Longe quippe hanc Lampe-  
dona superat ELISABETHA, D. CASIMIRI  
POLONIÆ REGIS UXOR, quæ IMPERA-  
TORIS FILIA, REGIS SOROR, REGIS  
VXOR, REGVM IV. MATER, REGISQ;  
AVIA, fuit. Nec aliter fieri poterat, cum  
ex bonis nasci bonos, & ex augusta familia  
augustos produci liberos, certum sit. Quæ  
quidem pulcherrima spes & hic nos fovebit,  
dum MAGNI VLADISLAI MAGNAS VIR-  
TVTES, in futura felicissimæ prolis gene-  
ratione revirescere videbimus. Iterum hic  
in mentem venit Romana Caja Cæcilia, cui  
ob bene peractam vitam Romæ statua posita  
erat, cum sandaliis & fuso. Eriget & hic  
DEVS in SERENISSIMÆ CÆCILIAE RENA-  
TÆ thalamo statuas, sed Romanâ illâ eò fe-  
liciores, quòd animatæ futuræ sint, ac, quam  
illa signabat, summam virtutem vivo facto  
sint expresuræ. Nam & Heroicus ille ani-  
mus, & justitiæ cultus, & omnium virtutum  
suavisissimus concentus, in posteros propaga-  
bitur eò feliciore exemplo, quò SVMMAS  
CELSISSIMORVM MAJORVM VIRTUTES  
arctius



arctius pressis vestigiis sectati sunt AUGU-  
STISSIMI CONJUGES. Quæ cum ita sint,  
quid inde aliud, quàm gloriæ immortalitas  
speranda, cum ad adipiscendam eam, quæ-  
dam propior alia via non occurrat? Ex filio-  
rum generatione, jugiter manant genera re-  
novata, & in posteris suis quilibet vivere in-  
telligitur.

*Providit ille MAXIMUS mundi PARENS,  
Cum tam rapaces cerneret fati minas,  
Ut damna semper sobole repararet novâ.*

Eam, eam, iterum dico, unicam ad immorta-  
litate ducentem viam, fausto jam omine in-  
gressus est M. VLADISLAUS: Hinc æterno  
etiam gloriæ tropæo posteris innotescet.  
Irriga tu tantum, MAGNE DEUS, diviti be-  
nedictione hoc connubium, ac, quod suppli-  
ces petimus, potenti brachio protege. Ne  
concedas, ut ulla ex parte felicitatem hanc  
perturbet adversa fortuna! Nunquam (an-  
nue DEUS voto) ea reperiantur secula, qui-  
bus non æternum victuri dicantur, INVI-

CTUS VLADISLAUS cum SERE-

NISSIMA CÆCILIA RE-

NATA. Fiat!

Fiat!

B

Decan-



Decantatam Odam III.

sequitur,

## ORATIO II.

*in qua,*

HENRICUS ab Xulogf NOB. BOR.  
Felicitatem Augustissimi Thalami de-  
monstrat, a causis procurantibus,  
aliisque nonnullis connexis.

**C**ommune, ac quasi solenne quoddam hu-  
manæ naturæ est, ut, si quâ insigni &  
quæ humanam sortem excedit, insolitâ feli-  
citate se maectatam cernit, non momenticu-  
jusdam interstitio, sed longiore tempore ex-  
ponat, expositam iterum atq; iterum multis  
undiq; collectis fructibus expendat, expen-  
sam quoq; illustribus notis aperiat. Cùm  
namq; talis tantusq; felicitatis gustus sit, ut  
interiora animorum sensa, gratâ quadâ oble-  
tatione demulceat, ac quasi abripiat, hinc  
aliorum omnium obliti, ea unice cogitamus  
ac amplectimur, quæ præsentem pariunt læ-  
titiâ ac delectationem. Credo eorum mo-  
re, qui, dulcissimo Loti fructu gustato, ei-  
dem penitus adhærebant, nec divelli nisi ægrè  
ab eadem se patiebantur: Aut, quæ vel gra-  
visimorum concentuum dulcedine allectæ  
aures,



auris, gratisimoq; variantium colorum amœ-  
nitate pasti oculi, vix oblectationis suæ susti-  
nent ablationem. Atq; hæc quidem sensuum  
pertinacia occurrit, multò interim fortiori  
animi permanente conitantiâ in retinendo,  
quod semel apprehendit, emolumento. Nam  
veluti exactiore rem omnem pensitat iudicio;  
sic firmitus, quod deliberatò bonum est, com-  
prehendit. Quorsum hæc dico? Nimirum ne  
ægre feratis, **AUGUSTISSIMI CONJUGES,**  
& meæ paupertinum eloquium lingvæ in  
prædicandâ **AUSPICATISSIMI THALAMI**  
felicitate, quam paulò ante delibare cœpi-  
mus. Nam cum is omnis nostræ futuræ felici-  
tatis solidissimum fundamen videatur, quis  
in celebrando eodem facîle satiaretur? Ma-  
gna vis, magnumq; momentum positum est  
in Conjugio, ad conservandas ac propagan-  
das civitates. Nam cum felicitas publica, ad  
quam humana omnia referenda sunt, è singu-  
larum civitatum felicitate constet, maxima  
autem singulorum felicitatis pars, in felici-  
atq; auspiciatissimo matrimonio sita sit, & ad  
illud consequendum consueta quandam de-  
liberationem adhibeat sagax hominis pruden-  
tia, & prudens sagacitas, illud profecto ultrò  
consequitur, ut, nisi in qua singulorum feli-  
ces existunt nuptiæ, absolutè felix esse gens



nulla possit. Ponite vobis ante oculos omnes  
humanæ vitæ partes, omnes publicorum tem-  
porum varietates, omnes instituendæ vitæ ra-  
tiones ac vias animis & cogitationibus per-  
currite, nullas sanè potiores, quàm quæ à  
matrimoniis felicioribus desumuntur, inve-  
nietis. Ea quippe sunt, quæ homines disjun-  
ctos vinculo arctissimo conjungunt; quæ fa-  
milias dissociatas, mutua affinitate asfociant;  
quæ necessitudines conciliant; quæ amicitias  
religiosè comparant; quæ domos numerosa  
sobole fœcundant; quæ legitimis civibus re-  
plent urbem, quæ tandem efficiunt, ne genus  
humanum temporis longinquitate deficiat,  
adeò ut, ea si quis sustulerint, mundum ipsum  
sustulisse videatur. Verum enimverò quanta  
ex fausto conjugio percipitur utilitas; tanta in  
eo consequendo conspicitur difficultas. Atq̃  
hinc quidvis etiam interdum tentasse videas  
homines, modò hâc summâ, inter mortalia,  
felicitate potiantur. Non attingo hic vanis-  
simas nostri seculi levitates, quibus matrimo-  
nialem felicitatem, etiam cum impietate,  
nonnulli procurant: sponte sua risum ac illu-  
sionem; non tantî augustissimi auditorij at-  
tentionem merentur. Unum illud occurrit,  
quod inter Gentilium cœcitatem notatum  
est: ne quid inauspicati in tædarum sacris su-  
scipere.



sciperetur, idolorum cultum curiosissimâ su-  
perstitione persequerentur. Quem enim la-  
tent è Poëtarum fabulis Cupido, Venus, pro-  
nuba Juno, ac quodcunq; numinum connubia-  
lium notissimum nomen est? Prout namq; Cu-  
pidinem Deum, Venerem Deam, ac Juno-  
nem pronubam amoris fingeant: sic & tri-  
gas hasce, ita amoribus atq; conjugibus præ-  
esere credebant, ut ijs deficientibus, earumq;  
ope non imploratâ prorsus infelicia; vice ver-  
sa verò ijs procurantibus ac conciliantibus,  
contraherentur usq; quaq; felicissima matri-  
monia. Amotæ mentis eum esse oportet,  
qui figmenti hujus vanitatem non perspiciat.  
Quid enim puri ab ea speres, quam ipsam im-  
puram, sceleratisq; amoribus corruptam fu-  
isse comperimus? Quid quæso, sancti is pro-  
curaret, quem ipsum impuros ignes confla-  
se, conflatosq; nefario fomento nutriisse tot  
literæ testantur? Quid quæso boni illa in nu-  
ptiis efficeret, quæ rixosa semper, ac rarò  
cum Jove suo bene egisse putatur? Quos  
omnes olim levitatis suæ damnavit Gravis-  
simus Autor:

*Deum (inquiens) esse amorem, turpiter vi-  
tio favens*

*Finxit libido: quoq; liberior foret,*



*Titulum furori numinis falsi addidit.  
Natum per omnes scilicet terras vagum,  
Erycina mittit: ille per caelum volans,  
Proterva tenera tela molitur manu,  
Regnumq; tantum minimoin superis habet.  
Vana ista demens animus ascrivit sibi:  
Teneriq; numen finxit ac arcus Dei.*

DEO DUCE ac PRUDENTIA ADJUTRI-  
CE ineuntur ac firmantur. Deus enim est, qui  
primus conjugij autor ejusdem sanctissimi in-  
stituti providus est conservator. Deus est,  
qui, ut ipse sanctissimus, sic sanctissimo quoq;  
amore hominum mentes conjungit. Deus  
est, qui purissimus, purissimo amoris vinculo,  
nodo quasi indissolubili, ut omnia naturæ cor-  
pora, sic humani, quod ipse cœlesti primum  
amplexus est amore, generis devinxit ani-  
mis. Felix ergo & ter felix AUGUSTISSI-  
ME SPONSE! Felix & supra quam FELICIS-  
SIMVM CONNVBIVM! Non Cupidinem, quod  
falsò illud creditum numen; sed Deum du-  
cem atq; autorem habet. Quod non Vene-  
rem illam lascivam, sed purissimi amoris gra-  
tiam conciliatricem agnoscit: Quod tibi non  
profanæ faces; sed placidissimi cœlestis  
amoris ignes suggesserunt: quod non Cupi-  
dines cœci, quibus dementantur animi mor-  
taliū;



talium ; sed oculatissima consilia : nec cuspi-  
des plumbeæ, quæ immitti sæpius odio, mi-  
seros animos torquent, sed sanctissimi affe-  
ctus Regiæ menti persvaserit. Accessit huc  
non Juno pronuba ; sed Dux atq̃ adjutrix Pru-  
dentia. Etenim cùm **OMNIS REGIÆ SO-**  
**BOLIS PROPAGATIO** ad Imperij vel di-  
gnitatem, vel æternitatem spectet, hinc, quod  
illustum regni procerum adhibitis, atq̃ ex-  
ploratis consiliis è re esse publicâ decisum fu-  
it, omnium populorum tuorum bono selegisti.  
O quam verè amorem populi, o quam verè  
delicias hominum, **REX AUGUSTE**, dixerim-  
us, qui delicias nullas, nisi cum subditorum  
tuorum felicissima voluptate conjunctas, no-  
sti. Ita Luna quod luminis accepit à Sole,  
mundo refundit : sic tu quoq̃, **PATER PA-**  
**TRIÆ GLORIOSISSIME**, donum divinitus  
acceptum, in subditorum commodum con-  
ferre voluisti. Optimè noras, deliberato agèn-  
dum esse, quicquid feliciter succedere debe-  
at, nec unquam successus prosperos præcipiti  
temeritati sperandos, hinc prudentissimæ ac  
gravissimæ in feligenda **AUGUSTISSIMA**  
**CONJUGE** deliberationes. Absit hic, pro-  
cul absit à me, ut cum iis, qui cum fastu am-  
bulantes, in omnes, & in omnia inquirunt, eò  
curiositatis pervenire audeam, ut in aliena



castra transire, ac me arcanis Principum con-  
siliis immiscere velim: hoc saltem dico, quod  
in omnium ore circumfertur, REGEM NO-  
STRUM SERENISSIMUM, quàm bellicis  
tumultibus usq̃ versum sequestratis, quiete  
restitutâ omnibus populis, nomine TRIUM-  
PHATORIS ac PACIFICATORIS obtento,  
amoris vinculo alligari noluisse. Adeò REX  
PIVS ex istorum felicitate, omnium rerum fe-  
licitatem emergere putabat. Numam ex  
mortuis revocatum dixeris, cum Regem no-  
strum regnantem dixeris: Illo enim regnan-  
te neq̃ bellum, neq̃ seditio ulla, neq̃ nova-  
tio exstitisse fertur. De NOSTRO idem,  
imo plus etiam, dixeris, quippe qui bella ab  
aliis irritata sequestraverit, omninoq̃ in va-  
dum reduxerit. Vides hic non Epaminondam  
quendam, qui belli gloriam paci præferebat,  
sed Artabanum, qui exemplo suo svasit olim  
Persarum Regi, ne laceseret Græcos sed  
pacem haberet bello potiore. O REGEM  
RELIGIOSUM, O REGEM MAXIME PA-  
CIFICUM! Pacis bono invento, omnia bo-  
na sibi se invenisse DIVINUS REX credidit.  
Nec spes suo carebit effectu. Equidem omni  
terrarum orbe PACIFICUS REX salutaris:  
Hinc nunquam quoq̃ pacifico conjugio perti-  
nax amor deerit. Nullibi videbitur ullus ul-  
lius



lius felicitatis defectus, sed, tanquam ex cornu copiae, omnium rerum secundarum affluentia atque ubertas apparebit. Oliva antiquitus non tantum pacis, sed & Conjugij fuit Symbolum. Credebant namque, non, nisi sedato insanienti turbarum Martialium pelago, felicissima iniri posse matrimonia, & sicut pacis fructus potissimus fertilitas & agrorum honor: Sic conjugiorum proles foecunditatem, & familiae decorem purabant. Sicut pacem sequitur tutum ac per omnium subditorum mentes effusum gaudium: sic conjugalem quoque amorem tuta, ac per conjugum mentes effusa comitatur laetitia. Denique ubi pacis nomen est, ibi & res ipsa, hoc est, quicquid exinde nascitur boni, affatim percipitur: Ita ubi sanctum conjugalis amoris nomen dominatur, ibi quodcumque dixeris bonum sentitur. Adeo, ut nesciam, annon inter reliqua pacis bona innumera, primum, aut huic certe proximum, matrimoniorum felicitatem dixerim. Ac proinde cum istam tuis omnibus tam feliciter praestiteris; Ne dubites, **REX AUGUSTISSIME**, quin, quod plus ex pace hac publica fructus omnibus fuit concessum, eod plus tibi **EX AUGUSTISSIMO HOC CONJUGIO** felicitatis sit accesurum. Idque ideo, **VLADISLAE**, accidat oportet, quod non ut



munus aliquod, sed meritum virtutum, quæ  
quotquot numerantur, in te tanquam in do-  
micilio splendidissimo effulgent, tibi compe-  
tat. Non enim eorum more facis, qui in im-  
perio non nisi imperium cogitant, Non Stra-  
toclem, non Democlem agis, qui ad Remp.  
velut ad messem auream, & exercendum ci-  
vium spoliarium accesferunt, non deniq; eo-  
rum morem sequeris, sed potius, ut detestan-  
dum, abhorres, qui se non civibus, sed sibi  
cives datos putant, qui non subditorum, sed  
sua ipsorum commoda spectant, quiq; licet  
multis multa concedant, semper tamen id ad  
suum commodum referunt. Crocodili natu-  
ram imitantes, qui trochilum quidem avicu-  
lam, è suis carpere faucibus escam patitur,  
verum non ipsius, sed proprio emolumento,  
scilicet ut rostro ipsius os suum repurget. Ve-  
rum tu, REX INCLYTISIME, utpote in  
quem Majestas, divinæ proxima, talia tantaq;  
cadere non sinit, longè aliter te gessisti huc  
usq; , aliter te geris etiam nunc, scivisti enim  
tibi non civium servitutem, sed tutelam fuisse  
traditam: Hujus quoq; curam egisti, liberta-  
tem populi tibi defendendam novisti. Hanc  
quoq; non modò defendisti, sed & conserva-  
sti. Optimum regendi modum esse didicisti,  
prius de subditorum, quàm propria cogitare  
tran-



tranquillitate ac delectatione. Id non sal-  
tem cogitasti, sed & felicissimè procurasti  
omnium somnos tuâ vigilantia, omnium oti-  
um tuo labore, omnium delicias tuâ indu-  
stria, omnium vacationem tuâ occupatione  
defendendo. Quid pluribus? paucis verbis  
multa complectar. Tiberium Imperatorem  
pulchram hanc vocem, sed non sine numine  
conceptam, in pleno Senatu emisisse legimus:  
Dixi nunc, & sæpe aliàs, P. C. bonum ac salu-  
tarem Principem, quem vos tantâ & tam libe-  
râ potestate instruxistis, senatui servire debe-  
re, & universis civibus, sæpe ac plerumq; eti-  
am singulis: Neq; id me dixisse pœnitet. Di-  
xit Tiberius: Utinam & re ipsa præstitisset.  
Plus præstitit REX NOSTER, quem utrumq;  
præstitisse res ipsa, tum omnium omnino sub-  
ditorum confessio edocet. Brevisime: Exem-  
plo Trajani Imperatoris, se tum demum PA-  
TREM PATRIÆ vivere putat, si non sibi,  
sed Reipub. vivat. O REGEM nullis laudi-  
bus sat decorandum! O REGEM Deorum nu-  
mero ascribendum! O REMPUBL. POLO-  
NORUM Beatissimam cui tali Rege frui con-  
tingit! Tu, vivo hoc Rege, vivis; eo florente,  
flores; eo salvo, salva es? O felices omnes,  
quotquot sanctissimâ necessitate AMPLISSI-  
MO IMPERIO conjungimur! & nostra salus  
ea fon-



eo fonte derivata fuit, cùm tam AUGUSTIS-  
SIMO IMPERIO subjiceremur: Et nostra fe-  
licitas tam salutaribus pacis consiliis nata est,  
quibus præ multis aliis gentibus (faxit Deus  
longo tempore) beati videmur, quarum  
omnis quies nunc equidem dirisimis motibus  
quasatur: sed & eæ bene sperent, & partem  
futuræ felicitatis ex nostra æstiment. Nescio,  
an Sabinorum more somniem, quod velim,  
illud tamen videtur, signum quoddam ere-  
tam esse beatæ pacis, hâc novâ AUGU-  
STISSIMARUM DOMUUM conjunctione,  
cujus fructum, ut brevi Germania sentiat vo-  
veo, & vos mecum, Auditores, vovere scio.  
Plura quidem dicerem, sed lætitia linguæ ob-  
strepit & cogitatio voluptate impeditur, ac  
mens occupata delectatione mavult impræ-  
sentiarum gaudere, quam lugubribus quere-  
lis augustissimam solennitatem turbare. Gau-  
de, age mecum gens Polona: Gaudete gen-  
tes cognatæ: nova enim gloria adauxit ve-  
stram gloriam: obtinuistis in HOC VESTRO  
REGE, quod optare potuistis. Tu quoq̄, quæ  
nunc luges Germania, à lacrymis te contine,  
frontem explica, novam vides in orbe lucem  
exortam, cum ille AUSTRIÆ SOL POLO-  
NORUM LUNÆ se conjunxerit: cum ille  
rursum SOL POLONIÆ AVSTRIÆ LV-  
NAM



NAM illustraverit suis radiis, & te illustrabit,  
solem pacis reddendo. Vos Prusiae Incolae,  
vestram laetitia communi omnium gaudio  
adjungite: Nam & vestra salus ex hujus con-  
jugij felicitate speranda. Vos caeteri, qui  
huc convenistis, explendorum desideriorum  
vestrorum causam, excitate in veram laetitia  
animos vestros. Videtis enim ipsa quoque ani-  
mantia, rationis expertia, vocibus ac linguis,  
quin muta ipsa moenia, Turres, Tempa, Fo-  
ra, Compita, parietes, tecta, & omnia denique  
sensu carentia, gaudium signis testata suum,  
REGIIS HISCE NVPTIIS applaudere. Qui-  
bus si & vos, Musae, quae hic adestis, vestras  
addatis gratulationes, tum demum omnis praesentis  
diei solennitas AVGVSTISSIMO  
CONNVBIO celebrando dicata, absoluta erit  
atque perfecta.

ODÆ IV. interserenda,  
Subiungitur

### ORATIO III.

*In qua*

ALBERTUS THEODORICUS Fröbner  
Nob. Bor. Muneribus nuptialibus ad-  
ditis Musarum nomine, fausta qua-  
vis Augustissimo Thalamo  
precatur.

Pergite,



**P**ergite, pergite faustis gratulationibus,  
devotissimum cultum testari, ac æternâ  
servitiorum promptitudine in occursum agi  
**AVGVSTISSIMORVM CONJVGVM!** Pa-  
rata sint auro micantia munera, ac quicquid  
hic, vel alter orbis pretiosissimi profert, **AV-**  
**GVSTISSIMIS NVPTIIS** offeratur! Vin-  
cat operis magnitudo reconditas terræ abys-  
sos, promat sua dona Balthico littori adjacens  
Oceanus, non detrectent donaria offerre abs-  
trusissimi montium recessus. Tota deniq̃  
hæc patria, quicquid magni continet, deferat  
ultrò **SERENISSIMIS NVPTIIS.** Si namq̃  
antiquitas, noviter nuptis donaria semper ob-  
tulit; si, in M. Alexandri nuptiis, gentes do-  
nis quasi certârunt, ut coronæ à gentium Le-  
gatis oblatae XV. millia talentorum excesse-  
rint, Athenæo teste: Quidni & nos opere  
ipso testaremur debitum erga **AVGVSTIS-**  
**SIMOS CONJVGES** affectum. Imò profe-  
rat diviti copia suas divitias patria tellus, ac  
conclusa prius, nunc in **AVGVSTISSIMO-**  
**RVM CONJVGVM** honorem sponte prodat  
Rerum natura! Equidem, si votis res succe-  
deret, sortisq̃ nostræ tanta esset felicitas,  
magnificæ ædes Pyramidum structuram ex-  
cedentes, ac superbæ statuæ **ÆTERNO VÈ-**  
**STRO HONORI, AVGVSTISSIMI CON-**  
**JVGES,**



JVGES, diu essent erectæ, quarum cœlo ad-  
æquata magnitudo spectatorem sisteret, ac  
auri argentive prægravans moles offerentem  
vix sustineret. Nunc cum non vilia munera  
TANTAM MAJESTATEM deceant, candi-  
dus animus, & ille ipse, qui trahitur. spiri-  
tus vestris servitiis obstrictus, ea omnia ex-  
plebit, ac devotissima submissione æternum  
vobis inserviet. Nec minus offerendi ma-  
gnitudinem muneris desperant Musæ, quæ,  
sicut tantum omnium laudum, omnisq; glo-  
riæ concentum, suo quoq; Musicæ suavitatis  
concentu celebrandum putarunt, ita nunc,  
cum plenis manibus ac sinu OPTIMO PRIN-  
CIPIS omnis generis turba, majori adhuc,  
quàm unquam, concursu munera, fundere vi-  
deatur, ac ipsa recondita, testandi affectus er-  
gò, proferre gestiat patria tellus, ob paupe-  
riem contristantur, ac, quod TANTA MA-  
JESTATE condignum munus non possint of-  
ferre, ægrè ferunt. Peterent, si offeren-  
tium festinatio non prohiberet, à Jove suo,  
ut tanto muneri conferendo, pretiosissimis  
omnibus famularetur totum hoc universum.  
Fabricaret earum precibus motus INVICTO  
HEROI victricia arma Vulcanus, nec quic-  
quam, quod ad eorum perfectionem require-  
tur, intermitteret. Non detrectarent hespe-  
rios



rios hortos adire, ac, quæ **SERENISSIMÆ**  
**SPONSÆ** offerrent, aurea poma petere. Nunc  
cùm & ipsæ offerendorum munerum tardita-  
tem vitare velint, unum quod superest, de-  
votissimè offerunt, vota dico, preces, & quæ  
Nuptiarum olim propria erat, **FLORIDIS-**  
**SIMAM COROLLAM**, nec alio munere de-  
votissimæ mentis affectionem aptius se osten-  
suras arbitratae sunt, quàm qui serenissimam  
Sponsam maximè decet, pulcherrimo flore:  
ita & ipsæ Virgines, **SERENISSIMÆ SPON-**  
**SÆ**, florem offerunt, ac quâ semper delecta-  
ri creduntur sunt, promptissimè dicant florum  
amœnitatem. Non pigebit vos, **AVGV-**  
**STISSIMI CONJVGES**, quæ vestra etiam  
clementia est, placente oculo tenue donum  
respicere. Quin, si olim vilis hominis aquam,  
propriis manibus haustam, benevolâ mente  
accepit Persarum Rex, placebit & hæc variis  
floribus texta corolla. Si Jovi nonnunquam  
tàm unius victimæ profusus sanguis, quàm  
magna Hecatombe placuisse dicitur: nunc  
etiam divina **AVGVSTISSIMORVM CON-**  
**JVGVM** mens doni tenuitatem non despiciet,  
& quàm humilimè Musæ offerunt, Rosæ pul-  
cherrimam suavitatem, Liliæ sperandam feli-  
citatem, interminam Amarinthi perennita-  
tem, Oleæ admirandam fœcunditatē, Palmæ  
glorio-



gloriosam vivacitatem, benevolo animo acci-  
pient. Ac purpureæ quidem Rosæ admiran-  
dum colorem, primum in floridissima hæc co-  
rolla locum obtinere Musæ voluerunt, ut in-  
gentis amoris flammam denotarent, ac quan-  
to amoris vinculo flammea **AUGUSTISSI-  
MORUM CONJUGUM** corda conjuncta sint,  
ostenderent, scilicet & amor primum in ine-  
undo conjugio requiritur, cui felicissimo prin-  
cipio, feliciter succedit omnis posthac conju-  
gij via. Felices, qui eum obtinent, ac, quem  
ille gignit, voluntatum consensum non mino-  
ri felicitatis gradu consequuntur, Propugna-  
cula qui occupare volunt, prius valli & fossæ  
expugnationes conantur: nec aliter amoris  
arx oppugnatur, nisi mutuo nubentium con-  
sensu adamantino amoris vinculo juncto, ul-  
terior pateat aditus. Quo quidem summo  
amoris vinculo quàm arctè **AUGUSTISSI-  
MORUM CONJUGUM** corda conjuncta sint,  
hodierna testatur festivitàs, quam, quid aliud,  
nisi **AUGUSTI HUIUS AMORIS** odor, ma-  
jore ferè quam Rosæ ( quod & hic Musæ de-  
notarunt ) svavitatè & colorum varietate,  
hanc quoq; nostram terram afficiens excitavit?  
Divinus amoris color hoc fecit, qui non mo-  
do oculos; sed & mentem, quàm efficaciter  
pascit, quiq; solus mundi ruinam sustinet, jam

C

jam



jam labascentem. Illud ipsum quo Deo con-  
jungimur amor est, nec aliud nos ei con-  
jungit, quàm ille ipse. Quod nostræ gentis mi-  
serus optatissimo pacis bono inter medias  
aliorum clades nos beârit, amor fecit, quod  
**PACIFICO ET VIRTUOSO REGE** regi nos  
voluerit, amor fecit. Quod **AUSPICATIS-  
SIMI THALAMI** sacra celebrare, ac prospera  
quævis sperare nobis concesserit, amor fecit.  
Quid ergo mirum, si ille ipse Amor, divini-  
tùs excitatus, ad faustas gratulationes, &  
prompta obsequia nos armet? Deferunt jam,  
**AUGUSTISSIMI CONJUGES**, hujus suavis-  
simi amoris odore accensi, omnia sua, ac il-  
lum ipsum vitalem spiritum vobis omnes.  
Non detrectant **SUMMI REGIS** amore, ulti-  
ma quævis experiri, ac illam ipsam vitam soli  
Deo debitam, pro **AUGUSTISSIMI REGIS**  
salute profundere. Sed & felicissimi Liliij  
candidum colorem addiderunt Musæ, quo  
tanquam Junonio flore purissimi connubij fe-  
licitatem & albicantis floris sperandam pro-  
speritatem indigitarent. Averfatur candi-  
dus pulcherrimi hujus floris color profanam  
Venerem, nec nisi purissimum connubium  
comitatur. Id voluerant credo, primi sapi-  
entiæ Magistri Pœtæ, cum Cupidinem, im-  
purum puta, omnia, Palladè & Musis exce-  
ptis



ptis, arcui suo subicere fingerent. Et anti-  
quiores Philosophi, dum amorem Deum esse  
gravem, ac ab omni turpitudine sejunctum  
arbitrati sunt. Hinc & Anteros dictus, qui  
impuro amori contrarius, Cupidini palmam  
erepturus fingitur, Pausania teste. Quod er-  
gò Corollæ huic Liliū inseruerunt Musæ, si-  
mul connubij puritatem testatæ sunt, ac ex al-  
bicante colore fausta quævis sperare nos ju-  
bent. Nuptialium is antiquitus erat color,  
quo quam felicissimè matrimonia contrahi,  
& perpetuari credebant. Nec alia & hic no-  
bis exspectanda sunt, cum & spei symbolum  
eundem colorem fuisse antiquitatis testentur  
archiva. Ita abundè, quicquid votorum con-  
cipi potest in **FELICISSIMO HOC CONNU-**  
**BIO** consequetur hæc patria. Nullus immi-  
nentis mali timor, nulli jam jam timendi ad-  
versæ fortunæ ictus, ac ne ipse quidem ad-  
ventantis cladis nuncius firmissimam hanc  
summæ felicitatis spem elidet. Ponet hic  
quicquid adversantium adversæ fortunæ tur-  
binum obstat. Colet imperterritus agrum  
suum colonus, & inter medias hostium tur-  
mas tutum se esse credet: Sacris suis vaca-  
bunt Musæ inter lituos & tubas; Uno verbo  
omnia securè gerentur, sola hac spe refocilla-  
ta, quod **FELIX HOC CONNUBIUM** ac cum



eo inclytā Polonorum, eiq̄ vicina gens futura  
sit. Neq̄ in unum annum spes hæc extende-  
tur, sed, quod perpetuò virefcens Amaranthi  
amœnitas, in floridisfima hac corolla Lilio pro-  
xima, nobis spòdet, æternaturo vigore peren-  
nabit: Amaranthi eam naturam esse, naturæ  
confulti produnt, ut nullo tempore marcescat  
sed lætissimo flore in autumnum usq̄ & ultrà,  
duret: ita certè imortalis Amaranthi exemplo,  
imortales futuros hos conjuges penè dixerim.  
Quid enim admirando Amaranthi vigore ac  
viore, Musæ aliud denotare voluerunt, quàm  
**AUGUSTISSIMORUM CONJUGUM** etiam  
Nestoris annos excedentem vitam? O feri in  
cœlum redeatis, ac læti diu populo vestro in-  
terfitis, **AUGUSTISSIMI CONJUGES!**  
Fruatur in multa secula tam **PACIFICO RE-**  
**GE** nostra terra, ac nunquam interituro lau-  
dis præconio Heroicos triumphos **MAGNI**  
**VLADISLAI** narret. Oleam præterea Musæ  
addiderunt, quâ **AVGVSTISSIMI THALAMI**  
fœcunditatem fœcundissimæ Oleæ exemplo,  
denotarunt. Fœcundabit & hic Deus vestrum  
**AVGVSTISSIMI CONJUGES**, thalamum,  
ac felicissima prole ditabit. Producentur ex  
eo **HEROES, ET HEROINÆ** toti orbi admi-  
rabiles. Adspirabunt hinc ad **JAGELLO-**  
**NICÆ DIGNITATIS**; illinc ad **AVSTRI-**  
**ACÆ VIRTVTIS** culmen posterii. Videbit  
**M. VLA-**



M. VLADISLAVS in posteris suas virtutes,  
& summis laudibus id adjiciet, quod parem  
sibi prolem habiturus sit. Loquetur eorum  
acta fera posteritas, ac, quod Palma, quam  
Gloriæ Symbolum hic annexerunt Musæ, in-  
dicat, æternitati AVGVSTA NOMINA con-  
secrabit. Spargetur eorum honos in totum  
mundum, ac præpeti famæ alâ in altum tolle-  
tur. Defatigabitur in eorum laudibus recen-  
sendis, omnis Prudentiæ calamus, &, admi-  
rando exemplo, ALTERÆ HVMANI GE-  
NERIS DELICIÆ dicentur. Videte, AV-  
GVSTISSIMI CONJVGES, quanta nobis de  
AVGVSTISSIMO HOC THALAMO spon-  
deat hæc corolla. Vbi tamen nondum desi-  
nunt Musæ, sed pulcherrimos hos flores fra-  
grantissimâ Myrto connectunt. Veneri ea  
olim sacra erat, & fortissimum amoris vincu-  
lum indigitare credebatur. Scilicet hic pu-  
rissimus amor, quo AVGVSTISSIMA COR-  
DA conjuncta sunt, immotus stabit, nec ulla  
annorum, quantumvis longa serie, langue-  
scet. Hinc æterna etiam VESTRO HONO-  
RI erigitur nunc Ara, ad quam devotissimè  
debita humilimæ promptitudinis obsequia  
deponunt, ac venerando cultu TANTÆ MA-  
JESTATIS benevolum affectum expetunt  
omnes. Faciunt idem nunc Musæ, quæ ad  
hanc VESTRÆ MAJESTATIS aram suppli-



ces veniunt, ac ne in postremis tenue earum  
munus habeatur, humilimè petunt. Ita, cum  
omnigenæ prosperitatis appreciatione, devo-  
tissimè MAJESTATI VESTRÆ corollam af-  
ferunt, utq; diu cœlestis favor vos sospiret,  
ac hominum usibus concedat, seriò precan-  
tur! Pateretantum, AVGVSTISSIME REX,  
ut, sicut insigne diadema CAPVT, provide  
inter medias belli calamitates, pro publico  
bono vigilans, antea cinxerat: ita nunc AV-  
GVSTA TEMPORA circumdet florida hæc  
corolla. Evehetur eâ AVGVSTVM TVVM  
NOMEN, ac æthera nominis fama implebit.  
Obstupefcent ad INVICTOS TVOS TRI-  
VMPHOS posterì, & SVMMAM TVAM  
VIRTVTEM, optimorum principum laudes  
exæquasse, admirabundi cernent. Non jam  
Xenophontis Cyrus, non Maronis Æneas,  
non Plinij Trajanus, sed summo Dei benefi-  
cio terræ nostræ datus, AVGVSTVS VLA-  
DISLAVS optimi Principis exemplar audiet.  
Julij cæsaris olim Clementiam Pompejanis  
exhibitam, cœlo adæquavit Tullij svada: De-  
ficiet hîc omnis Oratorum industria, dum bar-  
baris terris tantam clementiam à Te exhibi-  
tam leget, ac sacri silentij horrore tantam  
rem obfignabit; Timantis exemplo. Ita im-  
posterum, AVGVSTISSIME REX, quod fe-  
lici



lici omine ominatus est, Summus inclyti Po-  
loniæ regni vates:

*Prodigus laudes Tibi fundet Indus  
Ostius septem, Tibi dives aris  
Accinet Lydus; tua volvet ingens  
Nomina Ganges.*

*Te canent solis Garamantes arvis,  
Te Dacæ Princeps pluviamq; pauper  
Maurus, & Cydni, vitreiq; discet  
Potor Enipei.*

Sed & Tu, SERENISSIMA AC EXCELSIS-  
SIMA PRINCEPSET DOMINA, DOMINA  
CÆCILIA RENATA, cœlo terræ nostræ do-  
nata, felici fidere, terram nostram ingrede-  
re, ac POTENTISSIMÆ AUSTRIACÆ FA-  
MILIÆ splendore illustra. Ne perturbet  
hanc felicitatem INVICTISSIMI DOMINI,  
DN. PARENTIS mœsta recordatio, quem  
cœlo iterum datum, unde descenderat divi-  
nus animus, quid miremur? Ac si Regulos  
suos astris olim reposuit superstitionosa antiqui-  
tas, quidni & nos altissimo famæ cœlo in al-  
tum tollamus invictissimum D. FERDINAN-  
DUM II.? Quinimò, AUGUSTISSIMA  
PRINCEPS, POTENTISSIMUM DN. PA-  
TREM.

*Kagan*



*Vagum Solis comitata currum,  
Fama per, latus spatiosa terras,  
Narret Eois, doceatq; seros*

*Nomen Iberos.*

Invidit fortuna diutius Orbi MAGNUM FERDINANDUM: nec is boni sui capax erat. Ac magna tanti capitis fuisset jactura, nisi & paternarum virtutum hærede, INVICTISSIMO AC POTENTISSIMO FERDINANDO III. ROM. IMP. S. A. BOH. ET HUNG. REG. FEL. restituta videretur, & GLORIOSISSIMÆ DOMUS luctum lenirent prospera fata SERENISSIMÆ CECILIÆ RENATÆ: à cujus custodia sicut, ob luctuosum D. FERDINANDUM II. discessum, paulo ante, removisse vultum fortuna videbatur: Ita nunc in INVICTI VLADISLAI AUGUSTO THALAMO Augustior renitet, ac, quæ heri cœperat, tempestas, hodiernâ iterum tollitur serenitate. Mirum certè, & quid, nisi Divinæ gratiæ indicium, luctuosam ac pene orphanam Principem, post breve luctus tempus, tantum rerum suarum curatorem accipere? Sentio EXCELSISSIMA PRINCEPS, & hæc patria, Te non nisi SUMMI DEI beneficio terris nostris donatam esse. Hinc, quicquid venerationis ac devotissimi obsequii ab eadem proficisci potest,

est,



est, id totum peculij loco dibi dicat. Habebit jam rerum suarum etiam matrem, ac alto supercilio omnes antiquo orbi mirabiles Reginas spernet. In te quippe omnia Tui sexûs requisita solo nomine ominatur, ac admirando exemplo in omne ævum transfundet. Non inde abest ipsa Patria, quæ, si loqui posset, commune gaudium exponeret, nunc me interprete ita testatur:

Ad auditum **AUGUSTISSIMI THALAMI VESTRI** nuncium, **MAGNI CONJUGES**, perculsa, præ nimij gaudii affectu vix ipsam me sentio. Ita, ita, debito præmio affectus, Magnus in virtutis stadio cursor, dum post Heroica facta, populosq; quieti reditos ipse de quiete cogitat. Scilicet nunc voti compos facta sum, quò post Martios **REGIS MEI** triumphos, unicè à Deo expetebam ut eò tandem **MAGNI REGIS** cor duceret, ac quæ consummandæ ejus felicitati deesse videbatur, partem, clementer adderet, quâ imago saltem posteris seculis **MAGNI VLADISLAI** relinqueretur, ut, quem **EXCELSISSIMARUM VIRTUTVM SECTATOREM** imposterum viderem, firmiter expectare possem. Noscent, noscent nunc futura secula **MAGNI VLADISLAI** virtutem, quæ nec post funera obruetur, sed semper



nōvæ flore surget. Patere tantum, ALME  
DEVS, ut felici fidere POLONICA AQVI-  
LA CVM AVSTRIACA jungatur! Vi-  
vant aquilæ exemplo in multa secula AVGV-  
STISSIMI CONJVGES, ac gloriæ tropæis  
totum orbem impleant! Ita vos demum diu  
terris commodet Deus, nec nisi fera dies cœ-  
lo reponat! Ita FIRMVM faciat DEVS, AC-  
CEPTVM DEO, ET A DEO PROSPERVM,  
DIVTVRNVM, FOECVNDVM, AC IN  
MVLTA SECVLA GLORIOSVM CON-  
NVBIVM MAGNI VLADISLAI AVGV-  
STI: ET SERENISSIMÆ CÆCILIAE RE-  
NATÆ.

(Quæ restat, huc referatur, Ode V.)

## Conclusio

MAGNIFICI AC COLENDI  
DOMINI:

**I**Ta est omnis pietas, quæ religiosè conce-  
pit vota, sæpius iterat, ac, quod unum  
horum robur statuit, immortale Numen  
advocat; hujus quicquid struxerit dexte-  
ra, inconcussum stare, securæ. Nunc itaq;  
quicumq; Augustissimi thalami felicitatem  
precari nobiscum cœpistis, pro confirman-  
da eadem venerari Deum pergite, sic de-

mm



*numquam sapius audivimus, rata vox  
erit: VIVAT VLADISLAUS AUGUSTUS  
PACIFICUS P. P. S. F. VIVAT CÆCI-  
LIÆ RENATA AUSTRIACÆ DOMUS  
GLORIA FLOREANT FELICES, FOE-  
CUNDI, IMMORTALES.*

**Sequuntur, quarū men-  
tio ante facta est, Ode honori  
hujus Thalami con-  
secratae,**

à

**SIMONE DACHIO.**

**I.**

**O** *Mnes leticia plaudimus ebrj,  
Et docto thalamum carmine Regium  
Cantamus, facibus qui sacer aetheris  
Arctoe Dominum gentis & Austria  
Divam progeniem lucida sidera  
Orbis perpetuo fœdere copulat.*

*Abscedant gemitus & querimonia,  
Non curis animos occupet anxius  
Luctus, sed lepidis ignibus aestuent  
Nunc sensus adyto cordis in intimo,*

*Nunc*



Nunc intenta vacet lingua cantibus  
Latis, ista quibus sidera perstrepat.

Absint implacido iurgia nunc foro,  
Nemo dente malo lancinet alterum,  
Cunctis unus amor voce sit ardua  
Testari nitidi gaudia pectoris.  
Exultet trepidis cum senibus puer,  
Festivis resonent omnia plausibus.

Flavis purpurei luxurient comis  
Flores, Assyriis fragret odoribus  
Corpus, virgo suo munera det viro,  
Regnent innocuis cum salibus ioci,  
Et qua quisq; potest arte sacras magis  
Tantas advigilet reddere nuptias.

VLADISLAVS amor poli  
Et terra decus inclytum  
Arctos ubi tristibus  
Gentis cladibus exiit,  
Armorumq; procul minis  
Paci reddidit aureæ  
Æternam pariens suo  
Sceptro victor adorem:  
Tanti munera pectoris  
Fatis insidiantibus  
Ne dispendia sentiant.

Sed



*Sed victura perennibus  
Virtus Regia seculis  
Dotes perpetue: suas;  
Venturis sapiens eam  
Caste munere Cypridis  
Gestit tradere posteris.*

*Ergo perpetua fronde velut virens  
Laurus Sarmaticas res moderabitur:  
VLADISL AUS, erit numine qui parè  
Nos à finitimis adserat hostibus  
Dum tellus varias dædala fert opes,  
Dum cœlum roseis purpurat ignibus.*

## II.

**T***Hracius docta precibus parentis  
Vividam chordis animam daturus  
Tanarum liqui rediuius Orpheus:  
Sive quo quondam rapidos morabar  
Fluminum cursus celeresq; ventos,  
Sive quo sylvas, fera quo leonum  
Corda quo duros lapides coëgi  
Me sequi cantu sacer ac Deorum  
Festa connubi sacra cultor adsum.  
Nec quibus iristem posuere regno*

*Ditis*



*Ditis ultrices scelerum furorem  
Carmina desunt.*

*Est & Heroas modulata Clio,  
Dulcis est praesens Erato, nec ipse  
Phæbus insigni cithara decorus  
Sustinet tantis procùl esse Tadis,  
Ecce Musarum chorus omnis ore  
Concinit lato, veniunt decenti  
Simplices gressu charites, modosq;  
Increpant acres, decus omne vatum  
Abdito si quid tenet in recessu  
Pectoris promit, thalamiq; tanti  
Dedicat summo faciens honori.*

### III.

**Dialogus Vat. & Mus. de  
laude Sponsi & Sponsæ.**

**Vates.**

**S**ponsi munera regij  
Et laudum cumulos qui numero studet  
Complecti, sapiens parùm  
Noctu sidereas dinumerat faces.

Musæ.



## Musæ.

Qui Sponsæ decus inclytæ  
Summum laude pari nititur adsequi,  
Committit fragilem truci  
Mox sorbendus aquis hic pelago ratem.

## Vates.

Clarus non ita Sol micat  
Pulsis purpureo nubibus æthere,  
VLADISLAVS ut in throno  
Gentes Sarmatico cum residens regit.

## Musæ.

Phæbe non ita splendide  
Nocturnis radiat pulchrior ignibus,  
Magnis Caesaribus sata  
In regni solio Sponsa velut sedens.

## Vates.

Felix, perpetua fide  
Regis magnanimi qua fruitur toro.

Quan-



*Quantis claret honoribus!  
Hac vivit potior conjuge vel Jovis.*

## *Musa.*

*Felix, Cecilies Amor  
Consortem thalami quem sibi deligit,  
Quantis ignibus uritur!  
Hic ipsum pariter vel superat Jovem.*

## *IV.*

*M*ater ferocientis  
Amoris hinc recede,  
Cum gente prurientum,  
Cupidinum salace,  
Quæ cæca, mollis, amens  
Admissa pectus urit,  
Ut more belluino  
Feratur, æstuetq;  
Libidinum procellis.

*Procul facesse sumptis  
Lasciva turba pennis,  
Orciq; tristis antrum,  
Hinc exulans revise,  
Si foriè sanciatas*

*Tuas*



Tuas adoret artes  
Proserpina maritus,  
Beatiore flamma,  
Regale pectus ardet.

Hic castitas supernis  
E sedibus vocata,  
Aurorę castitatis  
Et presidere gaudent,  
Et ustulare flamma,  
Sed sanctiore mentes.  
Quicumq; solis ortum  
Hic stringit & cubile  
Hac luce splendor exit.

Nec cecitate sortis  
Casusve fortuiti  
Hic lectus apparatus;  
Vis consilii remota  
Quam cordis officina  
Recoxit, audit harum  
Magistra nuptiarum,  
Hinc ergo prosperantur  
Dij favoris aurę.

D

Centi.



**C**antitamus universi,  
 Inq; gratulationes  
 Pectus, osq; linguamq;  
 Sedibusq; si quid imis  
 Virium reconditarum  
 Abditum latere scimus prodigi nunc salu-  
 mus.

Si qua Flora vernat agris  
 Si qua monte frondet arbor  
 Adsit expedita nostram  
 Ambiatq; prona frontem,  
 Quaq; Regis offeramus  
 Dona supplices honori nuptiali commedet.

Ecce Bregela fluentum,  
 Lusitantis unda Chroni  
 Æmulata Vistulamq;  
 Præliis Borysthenemq;  
 Nobilem frequentiore  
 Murmuratione tædis gratulantur regis.

Ridet aura, ludit æther,  
 Eurus insolens jocatur,

Grande



*Grande Carpati cacumen  
Ludibundum motat ornos,  
Concipitq; vota tellus,  
Militatq; tota Regis nunc amoris machina.*


*Nos quòd unicè valemus  
Cordis intimo litamus,  
Fugiterq; cantitamus:  
SPONSE VIVE! VIVE SPONSA!  
Regiosq; per nepotes  
Arctico perennè leges ponat orbi Sarmata!*


















Aug IV A 305

ULB Halle 3  
002 699 877




s. b.

VON




1-1-









AUGUSTISSIMUS THALAMUS,  
**POTENTISSIMI POLO-**  
 NORUM SVEGORUMQVE  
 REGIS,  
**VLADISLAI IV.**  
 ET  
 EXCELSISSIMÆ AVSTRIÆ ARCHIDVCIS,  
**CÆCILIAE RENATAE,**  
 PROPOSITVS

*Valentino Thilme*



REGIOMONTI

Literis Paschalis Mensenij, 1643.

